



~~Handwritten scribble~~

Gouanus

Catalogus dissert.

I. J. S. Semler.

1. Obij. Super 2 Timoth. II. et III.
2. Iosonis II Concilio Trident. exemplum.
3. De Regeneratione monastica.
4. de prophania theol. acaemica pro se dicta biblica.
5. de infelicitate hominum praesenti.
6. de Christi ad Elgarum epistola.
7. de imagini divina in humana ipsi natura.
8. de mysticorum interpretationum studio.
9. Antiquitatum Nomeneticarum et Tertull. specul.
10. de tempore quo scripta fuerit epistola Pauli ad Galatas.
11. Baptizatos fuisse, de quibus agitur Act. XIX. 5
12. de propagata per Bonifacium inter Germanos ref. christ.
13. de discrimine notionum vulgarium et christianorum in libris N. T. observando.
14. In Math. I. 17.
15. de cavenda molesta sedulitate sacra.
16. In Luc. I. Gabrielum spir. s. non esse.
17. Jesum Christum esse Paulo auctore verum Deum et verum hominem. disp. II.
18. Illustratio antiqui carminis ex evangelio Hebraeorum.
19. De vario et impari veterum studio in recolen. da historia deservit ad inferos.
20. spiritum s. recte desoribi personam.
21. de Despodoross et evangelio Hebraeorum.
22. de discrimine inter baptizatos et non baptizatos.

II. J. A. Neiffelt.

23. Singularis providentiae divinae in pace religionis vestigia.
24. de discernenda propria et tropica dictione.
25. de lateris patrum graecorum in nouum.
26. in 1 Cor. II. 20 et 27.
27. interp. cantionis anglica Luc. II. 14.
28. de Christo homine regnante.
29. Deum auctoritatem divinam religionis Christi confirmare sicut maioribus legistatione sinaitica.
30. ad Heb. II. 4.
31. in 2 Cor. III. 17.
32. ad Num. XXIII. 17.
33. in Job. XII. 20-23.
34. de vera vi nominis filiorum dei.
35. In 2 Thessal. II. 1-12.
36. In Job. XII. 1-17.
37. In Job. XII. 17-33.
38. *Quid in No ligni unig N. 31. - 74 p.*
T8 *Quid in 2 Cor. III. 6.*

N. 129
1

29.

IOANNIS AVGVSTI NOESSELTII

P R O L V S I O

QVA DEMONSTRATVR

Deum auctoritatem diuinam

religionis Cbristianaē

confirmasse

signis maioribus legislatione Sinaitica.



HALAE AD SALAM

A E R E H E N D E L I A N O

A. MDCCCLXXIII.

20.

IOHANNIS AVO STI NOSSRI

P. R. O. T. V. S. I. O.

G. E. N. E. R. A. T. I. O.

Q. U. A. E. T. I. A. M. N. O. S. T. R. A. M.

E. T. I. N. T. E. M. P. O. R. E.

E. T. I. N. T. E. M. P. O. R. E.

E. T. I. N. T. E. M. P. O. R. E.

E. T. I. N. T. E. M. P. O. R. E.

E. T. I. N. T. E. M. P. O. R. E.





Cum per occasionem elegantissimi libri, quem nuper admodum BONNETVS V. Celeb. super rationibus religionis Christianae edidit, quaestio incidisset de vi argumenti quod e miraculis ad demonstrandam istius religionis auctoritatem diuinam ducitur: fuit acutissimus de gente Iudaea philosophus, qui negaret Christianam disciplinam praestare Iudaica, propter ea quod illa, etiamsi miracula iactaret, careret tamen sollempni eaque diuina promulgatione qua Deus leges Iudaicas in Sina monte illustrauisset; hanc etiam rem diceret, nec miracula vlllo modo, fidem disciplinae Mosâicae fecisse. Neque igitur veritatem miraculorum, quibus se suamque doctrinam, tamquam diuinam, hominibus probarunt Christus eiusque discipuli, negare videbatur, (quod si fecisset, facile, quae contra dixisset, obuerti in ipsâ miracula a Mose facta possent) sed volebat nimirum vim huius rationis pro caussa Christiana frangere, et Iudaicae religioni asserere aliquid quod, cum ad Christianam non aequè accommodari possit, hanc illa inferiorem demonstrat. Non noua quidem haec videtur sententia. Nam et MAIMONIDES neque necessitatem miraculorum a Messia edendorum agnouit neque in miraculis Mosis consilium confirmandae doctrinae, quod
A 2 eius

eius verba docent apud VITRINGAM OBS. §§. lib. II. c. 16. §. 5 et 7, et similis fere opinio videri potest animos Iudaeorum tempore eo, quo Iesus inter istos viueret, occupasse. Namque Matth. XVI, 1. et alibi cum a Iesu requirunt *signum e caelis*, si vera est plerorumque interpretum de tali signo sententia quae miraculum in caelis s. aëre patrandum intelligit, aliquid legislationi Mosaicæ simile postulant, et eo tempore multi inter Iudaeos miracula Iesu nostri inferiora Mosaicis arbitrabantur e. c. Io. VI, 30 seq. Sed nihil attinet inquirere in huius opinionis antiquitatem; de veritate quaeritur, quam examinabimus paucis, cum neminem cognouerimus qui eam rem examinandam susceperit praeter BONNETVM, qui obiter in hunc errorem animaduertit in editione nouissima libri ante commemorati (*Recherches philosophiques sur les preuves du Christianisme*, Geneuae 1771. 8. pag. 304 seq. not. p. 444 sq.). Qua quidem in disputatione neminem putamus ita iniquum in iudicando fore, vt nos existimer iniuriam facere miraculis Mosaicis aut detrahere velle de auctoritate diuina factorum quibus suam in gente Israelitarum praesentiam illustrauerit Deus; hoc vnum quidem instituemus docere, quae Deus ad auctoritatem religioni Christianae conciliandam fecerit, non modo ne inferiora illis esse testimoniis quibus ornauerit disciplinam Mosaicam, sed iis etiam, vt ipsam Iesu Christi disciplinam, quam maxime praestare.

Quo modo igitur primum intelligi potest: certiozem esse auctoritatem legum Mosaicarum disciplina Christiana propter ea quod illae sollempniter, praesente populo Israelitarum vniuerso, edictae legantur, aut quo modo per illam promulgationem, non per miracula, diuinam earum auctoritatem cognosci? Datas ita illas leges esse, non potest nisi e testimoniis intelligi, h. e. non alio modo quam quo miraculorum Iesu Christi veritas intelligatur, vt hactenus par ratio sit vtrisque rei. Ac si vtrinque testimoniis contenditur, haud scimus an superior sit causa Christianae religionis.

Non

Non sumus quidem ii qui velimus vel antiquitatem vel pretium librorum Veteris Testamenti labefactare, sed per omnes rectas in iudicio testimoniorum regulas certior est tamen auctoritas testimoniorum quae inter veteres Christianos de auctoritate ac fide librorum Noui Testamenti historicorum, quam quae in Ecclesia Iudaea de libris Veteris Oeconomiae, ipsius quoque Mosis, ferebantur; cum ista Christianorum Ecclesia et propius ab origine horum librorum abfuerit, et isti Christiani non e longinqua traditione sed ipso ex ore sacrorum scriptorum discipulorumque hanc rem didicerint, potuerintque percunctando facile elicere veritatem rerum gestarum quae fuerant in sacris N. T. libris traditae. Neque res eae, quibus confirmata est fides Christianorum, semel sunt factae sed saepius, non vno in loco sed varias inter gentes, per plures terrarum partes, non sic vt Christiani soli adessent sed hostes etiam, quos nec piguit in veritatem earum rerum diligenter inquirere; at lex Mosaica semel lata fuit, praesentibus tantum Israelitis, qui vni sunt testes in sua caussa. Quo modo vero, si vel certissima est fides Iudaeorum de sollempni legis latone, vis eius rei ad efficiendam eius diuinam auctoritatem cognosci potest, nisi DEVS vnus hanc rem effecerit h. e. nisi per miraculum fuerit facta? atque vel sic istud argumentum prorsus est e genere eo, quo nos vtimur in adhibendis miraculis, ac si nulla omnino sit fides miraculorum ad veritatem diuinam doctrinae docendam, de legis latonis Mosaicae vi in promptu fuerit iudicare.

Sed quaerentibus caussam cur in miraculis nulla putetur vis esse ad efficiendum, doctrinam miraculis ornata[m] profectam a Deo esse, responsum a doctissimo Iudaeo videmus: nullum esse cultum numinis tam ineptum, quin eius caussa facta miracula iactata fuerint. Iactata certe, quam vere? alii viderint. Quid, errone[si]ne eodem saepe modo ac veritas ipsa defenduntur? Quid, gentiumne idolorum cultu insectarum nulla fuit quae leges suas diuinitus sibi traditas comminisceretur? Nullumne igitur *νεγησιον* reperiatur,

A 3

quo,

quo agnosci possit verene an falso talia iactentur? At publice tamen sollemniterque lata lex Iudaeorum a Deo fuit, Christiana disciplina non item. Ergone liceat modum ponere diuinæ sapientiae? aut Deum in tales angustias cogere, vt non nisi vno modo se probare hominibus, non item pro rerum humanarum diuersitate variare modum declarandæ auctoritatis suæ debeat? Si verum quidem est illud, sapientis esse, vt vsum mediorem, quibus aliquid efficiat, semper accommodet ingenio ac conditioni eorum, quibuscum agat: bene fecerit Deus, vbi Iudæis sollemniter, omnibusque audientibus, leges suas edixerit; sed, si causâ Christianorum alia fuerit nec eadem necessitas similis adhibendi modi et vero etiam rationes aliae quae impedirent quo minus in stabilienda auctoritate disciplinae Christianae iisdem, quibus in constituenda Israelitarum disciplina, mediis vreretur, in promulganda religione Christiana neque auctoritas diuina neque rectus eius probandæ modus iure quodam desiderabitur. Iam primum satis constat in ferendis genti Israelitarum legibus, non modo hoc Deo fuisse propositum, vt eam vera sui cognitione imbueret, sed etiam singularem quandam rem publicam constitueret, quae non humanis sed diuinis legibus a se, tamquam Israelitarum rege, temperaretur. Cum igitur leges ad religionem pertinentes etiam civili quadam auctoritate sanciendae, itemque multae ex vtroque genere arbitrio Dei, non natura ipsa, constitutae essent: intelligitur profecto, cur eae sollemniter et cum externa quasi pompa aliqua edici debuerint populo. Quo modo etiam Israelitae (negat enim Philosophus hanc vim repeti a miraculis debere), quomodo igitur ii agnouissent, Mosén nomine et auctoritate Dei mandata dare, Deumque ipsum et praemia promissa largiri et contumaciam vlisci velle, nisi ei harum legum ferendarum voluntatisque diuinæ declarandæ potestas asserta sollemniter et in conspectu populi fuisset; praesertim cum crebrae seditiones Israelitarum, veluti filiorum Korachi et ceterorum, vel post illam sollemnem legis lationem, doceant quam fuerit

fuerit necesse vt Mofi, tamquam interpreti voluntatis diuinæ, fides ita conciliaretur. Porro ita adhuc rudis erat literarum nec philosophandi confuetudine exulta gens Israelitarum, ita etiam paene solo sensu, vel in rebus ad cultum Dei pertinentibus, mouebatur, tantoque impetu ferebatur ad idololatriam, quæ omnem religionem referret ad sensus iisque tota esset accommodata, vt vel sic sapientiae diuinæ consentaneum videri posset, modum legum ferendarum ad sensus externos attemperare sibi que ea via aditum ad pueriles Israelitarum animos facere. Nam etiam si hæc omnia effici edendis aliis miraculis potuissent, quæ neque neglexit Deus, vt vniuersa huius gentis historia perspicue docet: in illis tamen recte vsurpandis ac colligenda ex iis diuina rerum confirmatarum auctoritate maior perspicaciae vis requirebatur, quam quæ in illam Israelitarum infantiam videretur cecidisse, et ita quodam modo miraculorum vim frangebatur fiducia magorum, quos consulere illi consueuissent, vt vel propter ea videatur Deus interdixisse, ne quis oblati miraculis assentiretur, nisi cum vero sui cultu consentirent, Deut. XIII. cuius prae idolorum cultu praestantiam sollempni pompa legis lationis confirmasset. His ipsis de causis, cum Dei in Israelitas ciuile quoque imperium esset, iique et seditiosissimi essent et incredibili furore ad idolorum vanitatem amplectendam ferrentur, maxime seueram Deus disciplinam induxerat, qua vel inuiti metu ad obsequendum impellerentur, cui inculcandi quis non videat apertissimum fuisse terribilem legis in Sina sancienda modum?

Sed alia longe erat ratio disciplinae Christianae, quæ alium quoque eius diuinitus commendandae modum requireret. Neque enim pertinebat ad rem publicam constituendam, quæ per Deum ciuilibus legibus regeretur, sed tota referebatur ad animos conciliandos Deo pietateque in eum regendos, ad cultum non tam externum et imaginum umbris obuolutum, sed eum qui animo et veritate (*ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ*) exhiberetur. Itaque nec neces-

se

se erat vt in illa promulganda, magna ambitione ac pompa terribili vteretur Deus, ac potius persuadendo magis quam minando propagari debebat. Et quem ad modum maior virtus pietasque in Deum cernitur, vbiunque animus non vi quadam ad assentiendum obsequendumque ita rapitur vt resistere nullo modo possit, sed, diligenti cogitatione doctrinae et multarum, etiam paruorum, rerum assumptione, ad veritatem et virtutem agnoscendam complectendamque libere mouetur: sic non difficilis est ad inueniendum causa cur Deus voluerit, vt suauitate doctrinae eiusque salutaribus in animo veritatis cupido effectis magis quam conspicuis voluntatis suae signis homines ad fructum Christianae doctrinae capiendum allicerentur. Neque Euangelii doctrina per vnum, vt illa Iudaica disciplina per Mosen, debebat ad humanam cognitionem transferri, sed per plures Dei legatos, qui veritatem diuinam non vni genti afferrent, sed vbiunque terrarum varias inter gentes diuulgarent; idcirco non vna tali promulgationis sollempnitate res poterat expediri; satius quidem erat cuique legato fidem diuinitus dictorum pluribus miraculis facere. Praeter ea non modo maius lumen litterarum Christi tempore terrarum orbi affulserat, sed etiam Iudaica religio magis magisque ad alias quoque gentes per Iudaeos hinc inde dispersos penetrauerat. Quam ob rem minus quam Mosis tempore verendum erat ne homines coeco amore impii deorum cultus aut commenticiis miraculis auferrentur, et, quoniam discipuli Iesu Christi varias per partes terrarum diuinam Euangelii auctoritatem miraculis confirmabant, per haec quoque eorumque cum istis prodigiis comparisonem prouisum erat, ne talis portentorum temeritas homines in necessarium errorem coniceret. Iudaeis denique ipsis, quibus primis proponebatur Iesu doctrina, per tot sacrorum librorum dicta ita quasi ob oculos pictae erant notae, e quibus Iesus tanquam Messias amabilisque eius doctrina aliis quoque cum gentibus communicanda agnosceretur, vt vel sic magis praeparati essent ad diuinam Christianae

9
stianae disciplinae originem intelligendam, neque admodum opus
esset per vocem de caelo delatam sollemnem iis significationem eius
rei dari.

Quamquam nec tali significatione caruit persona do-
ctrinae Iesu Christi. Principio cum a Ioanne aqua religiosa mer-
geretur, vox delapsa de caelo eum vnicum Dei filium declaravit,
audientibus haud dubie multis, qui ad Ioannem confluxerant, nec
dubitari potest hunc vel ab hoc prodigio Iesum tamquam Dei le-
gatum, quod et alias fecit, multitudini commendasse, Matth. III.
Post haec, cum Iesus tribus cum Apostolis in monte esset eumque
Deus diuino splendore illustratum iis ostendisset, iterum vox caeli-
rus demissa eum edixit filium Dei esse quem audire deberent, Matth.
XVII. Postremo simili voce edita promissit se Deus Iesum, vt adhuc,
sic porro, illustratum, neque hoc clam fecit sed ita vt alii audita
tonitrua, alii angelum cum Iesu locutum profiterentur. Quid autem
sollemnius atque illustrius prodigio eo, quo initium propagandi per
Apostolos Euangelii celebrauit Deus? cum, audiente non vno po-
pulo, sed magna multitudine plurimorum variis de gentibus con-
stitata, sonus per aërem, vehementis instar venti, ferretur, quo con-
uocati illi Apostolos audirent, sua quisque lingua, mirabilia Dei
differentes, Act II. Atqui ex hac significatione Dei, vt e ceteris
miraculis pro causa doctrinae Christianae editis, longe maior pote-
rat nasci certitudo, Deum fuisse qui hanc doctrinam probauerit au-
thoritate sua, quam e sollemnitate qua leges Mosâicae promulgatae
fuisent. Neque enim satis poterat ab Israelitis inquiri in huius legis-
lationis veritatem, propter ea quod vetitum esset seuera lege, ne
quisquam vel accederet ad montem, e quo legis verba pronuncia-
rentur, Exod. XVIII, 12 sq., nec nisi semel factum fuerat istud
prodigium, cuius generis facta facilius in dubitationem adducun-
tur. Sed miracula ea, quae Christianae religionis causa patrata le-
guntur, multa erant, saepe repetita etiam, non vno in loco sed va-
riis in partibus terrarum, praesentibus quam plurimis neque iam

B

in.

interuentum diuini numinis propter percepta alias familia expectantibus, neque causae confirmandae fauentibus, sed hostili saepius animo et contuentibus prodigia et diligenter examinantibus; cuius generis spectatoribus difficilius est numinis diuini interuentum probare, ac, si nihil habeant quod probabiliter contra dicatur, hoc certius diuinum factum agnoscitur.

Quantum vero hoc est in primis, quod illustre illud miraculum factum in dono linguarum non modo Apostolis sed postea per eos aliis quoque concesso, cuius modo mentionem fecimus, tam late propagatum fuerit atque tam diu conseruatum, ut, si de fraude suspectum fuisset, facile ea reperiri agnoscique debuisset; neque quidquam habet religio Iudaica quod cum tali prodigio eiusque vel magnitudine vel perpetuitate comparari posse videatur. Quo magis oportet nos grato animo agnoscere diuinam prouidentiam, quae tam conspicuo nullique legitimae dubitationi obnoxio miraculo causam Domini nostri Iesu Christi eiusque doctrinae illustrauit, atque vera pietate recolere tanti beneficii memoriam. Cui celebrandae cum hi, qui modo insent, dies dicati sint, etiam atque etiam vos, HUMANISSIMI CIVES, obtestamur, ut et diligenti cogitatione huius beneficii magnitudinem persequamini, et eam rem ad excitandam alendamque pietatem in DEVM Dominumque nostrum Iesum Christum religiosissime transferatis. P. P. pridie sollempnitatis Pentecostalis A. MDCCLXXXIII.



Fe 4194

ULB Halle

002 623 889

3




SB

Rehov

42







29.
IOANNIS AVGVSTI NOESSELTII

P R O L V S I O

QVA DEMONSTRATVR

*Deum auctoritatem diuinam
religionis Christianae
confirmasse
signis maioribus legislatione Sinaitica.*



HALAE AD SALAM

A E R E H E N D E L I A N O

A. MDCCLXXIII.

